Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1317

Quelle:
Copyright:

rati *Laelius, uterque Scipio, Cato, Tullius, Virgilius, Seneca.* Cum igitur et Philoſophum, et Chriſtianum et Latinum teneamus, quidni mentem pulſet *Chalcidius* Interpres et Commentator *Timaei Platonici*, quem ad Seculi IV. initia Literatores reponunt? Plura eum ſcripſiſſe, quam quidem in *Timaeum*, teſtis eſt Codex *Bodlejanus* per modum Dialogi tractans de ſtatu Animae poſt obitum Platonico more, quem *Gerb. Langbaenius* a *Fabricio Bibl. lat.* L. III. c. 7. excitatus in *Chalcidium* confert, quique fortaſſe Tractatus noſter eſt, teſtis item *Franc. Patritius*, qui *novae de Univerſis Philoſophiae* edit. *Veneta* 1593. f. in *Append. de Hermete Triſmegiſto* p. 3. ultima Ejus ad Filium verba e *Chalcidio* refert, quae utique verba non extant in *Commentario Timaei;* extant vero in Tractatu noſtro, quanquam paullo uberius, *fol.* 19. *Hactenus fili pulſus a patria uixi peregrinus et exul* &c. unde *Patritium* Exemplari *Chalcidii* nomen praeferente uſum fuiſſe oportet; teſtis denique Codex *Laurentianus* duplex a laudato *Bandinio* T. *cit. col.* 334. et 629. relatus, in quo habetur eadem *Hermetis* Oratio ad filium tributa *Alcibidio Platonico*, quem *Alcibidium* a Librariis e *Chalcidio* corruptum plus quam probabile videtur. Adde, quod in noſtro Codice, dum Interlocutores Autorem ſomniantem adpellant, *Alcidem* vocant, quod facile quis itidem ad *Chalcidium* reducat. Adde poſtremum et cogitandi et eloquendi rationem in *Commentario Timaei* et Tractatu noſtro prorſus convenire. Verum quid facies hiſtoricis illis notionibus, quas ſupra deſcriptas dedi? Quid *Chalcidio*, ſiquidem Seculum IV. adtigit, cum *iniquo Domitiano*, qui, ſi de Imperatore res eſt, Seculo I. occubuit? Quae Civitas illa, in qua Somniantis Frater *cogente optimo Romanae Reip. Conſule* munia geſſit? In qua ora maritima *Paracle* et *Chereothe* a Piratis vexatae? Quis conjurator *Apollonius?* Videant me doctiores. Aut hic paucula de Vita, rebusque *Chalcidii*, quae tempus edax nobis non invidit, continentur, aut nullibi; neque enim certi quidquam *Aug. Juſtiniani, Joh. Meurſii* et *J. Alb. Fabricii*, qui verſum et expoſitum ab eo *Timaeum* edidere, ſolertia docere nos potuit.

DLXXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. XV. ineuntis, Folior. 131. f. pereleganter ſcriptus, et coloribus comtus ſequentia continet: *Incipit tractatus de peccato originali editus a fratre Egidio Romano ordinis fratrum Heremitarum Sancti Auguſtini. Capitulum primum in quo eſt prologus.* Init illud: *Ego cum ſim puluis et cinis loquar ad Dominum meum* &c. Conſtat Capitibus VII. ut *Vol.* I. *col.* 2249. et 2571. quo te, ſi lubet, refer. U. 619

II. *fol.* 9. *Incipit tractatus de laudibus diuine ſapientie editus a fratre Egidio Romano ordinis fratrum heremitarum Sancti Auguſtini.*